

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dissertationem Moralem De Norma Actionum Humanarum  
Indultu Facultatis Inclytae Philosophicae In Celeberrima  
Academia Lipsiensi die VII. Maii Ann. MDCXCIIIX. H. L. Q.  
C. sub Praesidio Dn. M. Joh. ...**

**Lipsiae, 1698**

§. XI

**urn:nbn:de:bsz:31-102642**

virtutis, & ut incumbenti obligationi satisficiat, sed metu pœnæ, quam lex transgressoribus minatur.

§. XI.

*Justitia actionum* præter congruentiam cum lege, in qua earum bonitas consistit, involvit *relationem ad personas*, ad quas illæ applicantur.

§. XII.

Notissima justitiæ divisio est in *universalem & particularem*, quam non uno modo explicant. Communiter *justitiam universalem* cum Aristot. dicunt *exercitium omnium virtutum*, cum nimirum homo secundum leges virtutibus incumbat, cum in finem, ut bene ac feliciter cum aliis vivatur, & *Respublica sit beata*. Vid. *Eth. 3.* *Particularem* autem *justitiam* dicunt eam, quæ versatur circa bona externa, seu dicunt *virtutem moralem*, quæ quis aequalitatem servat inter plus & minus in iis, quæ alteri in societate civili tribuenda vel irroganda. v. *Struv. Jurispr. Rom. Germ. L. I. T. 1. aph. 15.* Queritur, an hæc divisio se rectè habeat? R. Neg. Nam (1.) non est rei ipsius, sed magis conceptuum & notionum, (2.) & universalis versatur circa bona externa, adeoq; hæc vera divisio non est, cum unum membrum dividens alterum sub se comprehendat. Hinc si vehimus, quod res est, explicare, assumenda divisio *Pufendorfii*. Scilicet pro diversitate debiti, diversa est justitia; quæ circa debitum naturale imperfectum occupatur, est *Justitia universalis*; quæ autem circa debitum perfectum est *particularis*. Hinc etiam universalis versatur circa res in commercium non venientes, & non spectatur, an, quod præstatur, præcisè æquale sit causæ, ob quam debetur. Particularis autem versatur circa res in commercium venientes, & ubi perfectum quis habet jus.

§. XIII.

Hoc Jus autem vel descendit *ex pacto* expressè, vel tacitè inter membra & societatem inito; vel *aliunde*. Ibi observatur *Justitia distributiva*, sub cujus objectum imprimis cadunt honores & onera. Quando enim quis societati adjungitur, ipse paciscitur quasi cum societate, ut sibi pro modo operarum, quas societati præstaturus est, & onerum, quæ esset laturus, commoda etiam atque honores  
distributi-